

minis, etc.), aut *physice*. Porro concursus physicus subdistinguitur in *mediatum* et *immediatum*, prout Deus cooperatur ad actiones et effectus creaturarum praebendo et conservando iis vires quibus agant, aut adiuvando vires ipsas.

Dubitari nequit Deum concurrere *concursu morali* ad omnes actiones honestas creaturarum intelligentium: in comperto enim est Deum leges morales promulgasse, easque praemiis ac poenis sanxisse, ut nos ad bonum faciendum alliceremur, a malo autem absterremur. — Item dubitari nequit Deum concurrere *concursu physico mediato* ad omnes indiscriminatim actiones creaturarum, sive intelligentium, sive non intelligentium. Concursus hic necessario consequitur creationem et conversationem divinam in articulis superioribus demonstratam. — Restat igitur ut inquisitioni subiiciatur an Deus concurrat ad actiones creaturarum etiam *concursu physico immediato*.

THESIS. — *Deus immediate concurrat ad omnes creaturarum actiones et effectus.*

Prob. I. — Omnis realitas contingens indiget immediato Dei influxu ut conservetur in esse. Sed quod indiget immediato Dei influxu ut conservetur in esse, a fortiori eo indiget ut incipiat esse. Ergo omnis realitas contingens indiget immediato Dei influxu ut incipiat esse. Sed quaelibet creaturarum actio et effectus est realitas contingens. Ergo quaelibet creaturarum actio et effectus indiget immediato Dei influxu ut incipiat esse: aliis verbis, Deus immediate concurrat ad omnes creaturarum actiones et effectus.

II. — Creaturae agendo perficere possunt esse proprium, aliarumque. Sed repugnat creaturas, solis suis viribus, perficere posse quod, solis suis viribus, non possunt conservare. Ergo...

III. — « Accedit quod ipsum *operari* et *producere* sit res valde mirabilis... In omni enim operatione producitur aliquid ex nihilo, quia id quod producitur, antea nihil erat: hoc autem videtur excedere vires creaturae, estque ingenio

humano inexplicabile (1). Verum nullo modo neganda est creaturis vera efficientia: alioquin frustra illis vires datae essent, frustra variis organis instructae.... Dicendum igitur creaturam posse operari et producere non solam, sed concurrente et adiuvante causa prima, cui primo et per se ipsum *esse* in quovis effectus respondet, ut multis locis docet S. Thomas » (LESSIUS, *De perfect. div.*, lib. XI, c. III, n. 14).

Coroll. — Quemadmodum Deus res annihilare potest subtrahendo eis suam conservationem directam et positivam; ita Deus potest res ad inertiam damnare subtrahendo eis suum concursum physicum et immediatum.

Schol. — Scholastici omnes (si Durandum excipias) affirmant concursum immediatum Dei ad omnes creaturarum actiones. Ipsi tamen diversimode se agunt, quum accedunt ad determinationem modi quo idem concursus a Deo praebetur. — Quamplurimi censent ipsum non antevertere creaturarum actiones, sed (ut nomen *con-cursus* innuit) dumtaxat eas comitari, sicque *simultaneum* evadere. — Alii vero propugnant contrariam sententiam, videlicet propugnant concursum *praeivium*, quem vocant etiam *praemotionem*, *praedeterminationem*.

Ab instituto nostro alienum puto praesentem quaestionem agitare. Sufficit commonere tirones praedeterminationem, qualem a nonnullis vel recentioribus traditur, adversari libertati humanae, Deique sanctitati, iustitiae, etc. Et sane, docent hi sic Deum concurrere ad actiones creaturarum, ut ipsae creaturae intelligentes praedeterminentur, praedeterminatione *certissime* effectrice, ad unum prae altero eligendum. Sed: — 1) Ut inquit S. Thomas (*II Sent.* d. XXIII, q. I, a. 1): « *est essenziale libero arbitrio, ut possit facere vel non facere* ». Atqui si creatura intelligens a Deo praedeterminatur modo dicto, iam non videtur ipsam posse facere vel non facere; et ideo aufertur ei liberum arbitrium. — 2) Sublato libero arbitrio creaturis intelligentibus, in Deum necessario

(1) Hinc *occasionalistae*, putantes Deum omnia operari ad creaturarum praesentiam: hinc *mechanici*, redigentes omnia ad purum motum localem et extensionem: hinc *idealistae*, effutientes omnia, quae in rerum universitate fiunt, non esse nisi illusiones.

refunditur, non solum bonum, sed etiam malum morale, quod ipse semper prohibet ac punit, non tamen in se, sed in creaturis. Atqui haec evidenter pugnant cum sanctitate, iustitia, bonitate et sapientia Dei. Ergo...

Obi. I. — Ad omnipotentiam et bonitatem Dei pertinet largiri creaturis agendi virtutem completam, scilicet quae non egeat continuo concursu ipsius Dei.

R. I. — *Dist.* Ad omnipotentiam et bonitatem Dei pertinet largiri creaturis agendi virtutem completam *relative*, nimirum ratione habita earum contingentis naturae, *conc.*; completam *absolute*, *nego*.

II. — Si ad omnipotentiam et bonitatem Dei pertinet largiri creaturis agendi virtutem completam, ad absolutum Dei dominium in omnibus pertinet ipsum posse impedire creaturarum actiones immediate, i. e. quin laedat earum naturam, aut eis opponat contrarium. Atqui Deus non posset impedire creaturarum actiones modo dicto, si hae elici possent absque immediato divino concursu. Ergo...

Obi. II. — Voluntas habet dominium sui actus. Iam non haberet dominium sui actus, si semper indiga foret immediato Dei concursu.

R. — « Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo *determinatio actus relinquatur* in potestate rationis et voluntatis » (S. THOMAS, *De Pot.*, q. III, a. VII, ad 13).

Obi. III. — Nescimus quomodo Deus possit immediate concurrere ad actiones voluntatis, quin tamen huic auferat dominium suarum actionum.

R. — « Quando Deus concurrat concursu generali cum causa secunda, ... simul agit cum illa, ita ut utraque causa cum mutua dependentia immediate in effectum influat, non secus ac si causae partiales essent. Et quamvis Deus possit solus totum effectum producere, tamen, quando cooperatur causae secundae, non adhibet tam fortem et plenum influxum, sed modicum et veluti partialem, ut creaturae etiam in agendo suas partes relinquat. Sicut cum vir robustus iuvat

puerum in onere portando, ita se accommodat, ita temperat suum auxilium, ut puer etiam aliquid conferat, sic ut oneris gestatio ab utroque partialiter procedat » (LESSIUS, loc. cit., c. IV, n. 15).

Obi. IV. — Dedecet Deum subordinare actionem suam actioni creaturae. Sed si Deus, concurrente ad actiones creaturae, penes hanc relinqueret illarum dominium, subordinaret actionem suam actioni creaturae. Ergo...

R. — *Nego mai.*, *conc. min.* et *nego cons.* Si dedecet Deum subordinare actionem suam actioni creaturae, dedecet ipsum se obligare ad afficiendas praemio aut poena actiones nostras bonas aut malas libere elicatas. At id nemo sane unquam dicet. Ergo...

Obi. V. — Si Deus concurrat ad omnes indiscriminatim actiones nostras, etiam ad peccata concurrat. Atqui repugnat Deum etiam ad peccata concurrere. Ergo...

R. — *Conc. mai.*, *dist. min.* et *nego cons.* Repugnat Deum concurrere etiam ad peccata *formaliter*, i. e. per modum formae determinantis, ideoque imputabiliter, *conc.*; *materialiter*, i. e. per modum materiae cuius est determinari, ideoque non imputabiliter, *nego*. Iam peccatum, tanquam a determinante, procedit, non ex Deo, sed ex humana voluntate. « Ratio culpae in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam quae ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex seipsa, quod tantum voluntati convenit » (S. THOMAS, *II Sent.*, d. XXXIX, q. I, a. 2).

ARTICULUS IV.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Stricto sensu accepta, providentia est ratio seu conceptio ordinis rerum in finem. Verum latiori sensu accipitur etiam ad designandam executionem istius ordinis, gubernationem seu directionem rerum in finem proprium et communem.

Cum in praesenti agatur de actionibus Dei *ad extra*, nempe de attributis relativis, providentiam divinam accipimus

in sensu latiori; eiusque existentiam vindicamus, non modo pro quibusdam entibus peculiaribus, sed pro omnibus.

THESIS. — *Omnium rerum Deus providentiam gerit.*

Prob. I. — Ex Dei sapientia. Sane Deus conservat res creatas, iisque opitulatur in omnibus suis operationibus. Atqui Deus utpote sapientissimus, quaecumque facit, non casu facit, sed consilio et ratione ad finem aliquem obtinendum. Sed providentia divina in hoc proprie consistit, nempe in directione rerum ad finem. Ergo...

II. — Ex Dei bonitate. Sola bonitas Deum induxit ad res condendas. Sed bonum artifex curam gerit operis sui. Ergo. — Praeterea, si parentes, natura duce, liberorum curam habent; si ipsaemet belluae suos foetus non deserunt; quomodo fingi poterit Deum curam non habere creaturarum suarum?

III. — Ex constanti ordine elucente in universo mundo. Ordo enim eiusmodi necessario exposcit mentem quae concipiat, voluntatem quae decernat, potentiam quae disponat et dirigat omnia ad fines praestitutos, diversos, iuxta rerum diversas naturas, ac sibiipsis subordinatos, ut ex ista subordinatione enascatur harmonia universalis.

IV. — Ex auctoritate divina et humana. Revera Scriptura complurimis et clarissimis sententiis divinam providentiam vindicat; religiones autem omnes manifeste ostendunt intimam hominum persuasionem Deum providentem esse. « Si enim, inquit Tullius, Dii neque possunt nos iuvare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt, quid est quod illos Diis immortalibus cultus honores, preces adhibemus? » (*De nat. Deor.* lib. I, n. 1).

Coroll. I. — Respectu Dei nihil in mundo fortuito contingit.

Coroll. II. — Divinae providentiae adversantur, non modo athei, sed etiam *deistae* (Rousseau, Cousin, Thiers, J. Simon, etc.) affirmantes Deum nimis sublimem ac praestantem esse, ut se ad uniuscuiusque nostrum aliarumque rerum mundanarum curam demittere velit.

Obi. I. — « Id quod in se habet necessitatem qua determinetur ad unum, non indiget exteriori gubernante. Sed principaliores mundi partes determinantur ad unum in suis actibus ac motibus. Ergo mundus gubernatione non indiget.

R. — » Necessitas naturalis inhaerens rebus, quae determinantur ad unum, est impressio quaedam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas qua sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, et non sagittae. Sed in hoc differt, quia id quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura; quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur, praeter earum naturam, ad violentiam pertinet. Unde sicut necessitas violentiae in motu sagittae demonstrat sagittantis directionem: ita necessitas naturalis creaturarum demonstrat divinae providentiae gubernationem » (*S. Th.* I, q. CIII, a. I, ad 3).

Obi. II. — « Ea quae gubernantur ab uno, a se invicem non dissentiunt nisi propter imperitiam, aut insipientiam, aut impotentiam gubernantis; quae a Deo sunt procul. Sed res creatae a se invicem dissentiunt, et contra se invicem pugnant, ut in contrariis apparet. Non ergo mundus gubernatur ab uno.

R. — « Contraria, etsi dissentiant quantum ad fines proximos, conveniunt tamen quantum ad finem ultimum, prout concluduntur sub uno ordine universi » (I, q. CIII, a. III, ad 2).

Obi. III. — « Omnis sapiens provisor excludit defectum et malum, quantum potest, ab his quorum curam gerit. Videmus autem multa mala in rebus esse. Aut igitur Deus non potest ea impedire, et sic non est omnipotens, aut non de omnibus curam habet.

R. — « Dicendum quod aliter de eo est qui habet curam alicuius particularis, et de provisoro universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo quod eius curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturae universalis, inquantum defectus unius

cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi. Nam « corruptio unius est generatio alterius » per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit Augustinus (*Enchir.* cap. 11): « Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo » (I, q. XXII, a. II, ad 2).

Obi. IV. — Si Deus minutissima quaeque gubernaret, deprimeret maiestatem suam, sicut deprimeret maiestatem suam rex, qui ad infima quaeque negotia regni demitteretur. Ergo...

R. — *Nego ant.* Deus maiestatem suam non depressit minutissima quaeque creando; ergo nec eam deprimit gubernando: quinimo, si nulla iniuria poterat res non creare, sine gravi iniuria non potest res creatas negligere. Ad exemplum autem regis quod attinet, observo ideo ipsum ad infima non demitti, quia nimia negotiorum multitudo ita obrueret eius mentem, ut ad infima intentus, negligeret superiora. Atqui de Deo nihil huiusmodi metuendum. Ergo..

Obi. V. — Si omnium rerum curam gerit Deus, providentia nostra erit plane superflua.

R. — Minime! Sicut enim concursus Dei non excludit imo includit concursum nostrum, eumque adiuvat; ita providentia Dei non excludit, imo includit providentiam nostram, eamque moderatur.

Obi. VI. — Haud raro in hac vita iustus angustiis premitur, dum ex adverso impio cuncta prospere succedunt. Iam contradictiones istae nullo modo componi possunt cum existentia summi moderatoris omnium. Ergo...

R. — *Conc. mai. sed nego min. et cons.* Re enim vera:

- 1) In hac vita nemo dici potest omnino iustus.
- 2) Deus complures habet rationes permittendi relatas

apparentes contradictiones. Et: — a) ut plus aeque non derogat legibus generalibus, quibus statuit regi mundum physicum et moralem; — b) ut quisque, ex iustorum angustiis et impiorum prosperitate, sibi persuadeat humanas sortes non absolvi in hac vita mortali, sed post funera manere nos aliam vitam, in qua rationem reddamus omnium nostrarum operationum; — c) ut magis ac magis appareat virtutem esse bonum praestantissimum, quod ordinari nequit ad divitias, honores, caeteraque bona huius vitae. Hinc S. Augustinus: « Placuit divinae providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruuntur iniusti, et mala impiis, quibus non excruciantur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur » (*De civit.*, lib. I, c. VIII).

